



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Exhortationes|| Ad|| Religiosos

Dirckinck, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1704

Reg. 36.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51834)

REGULA XXXVI.  
DE OBEDIENTIA INDIFFERENTE.  
EXHORTATIO  
IN REGULAM XXXVI.

Obedientiam indifferentem similitudine cadaveris & baculi  
senis declarat.

T H E M A.

Domine quid me vis facere? Act. 9. 6.

V E L

*Se ferri ac regi à Divina Providentia per Superiores suos sinere  
debent, perinde ac si cadaver essent, atque senis baculus. Reg. 36.*



Obedientiam indiffe-  
rentem, & ad om-  
nia loca, munia, ope-  
ra resignatā, prom-  
ptamque, variis non  
solum encomiis; ve-  
rum etiam symbo-  
lis, hieroglyphicis, ac similibus, Sancti  
Patres & Ascetici Scriptores, nobis ob  
oculos posuere. S. Basilius in Const.  
Monast. comparat instrumento, quod  
quocunque modo & ad quæcunque  
moveri se sinit ab Artifice. c. 23. & 28.  
Alii obedientes instar jumentæ, quod  
quolibet, ducitur aut impellitur, ad  
omnia promptos esse debere volunt,  
exemplo Regii Vatis, dicentis: *Ut  
jumentum factus sum apud te.* Psal. 72.  
22. Cujus dorso, indifferenter, qualiter

bet imponuntur. Alii velut lutum in  
manu figuli constituunt. Humbertus in  
Epist. de 3. votis, docet obedientes in-  
star metalli in manu fabri esse oportere:  
*Sitis, inquit, dilectissimi, sicut aurum  
ductile, & quasi virga flexilis, qua recta  
& curva redditur ad libitum artificis: &  
sicut rota volubilis, qua secundum impe-  
tum spiritus movebatur.* S. Ignatius in  
regula præsentæ, duo alia nobis propo-  
nit obedientiæ ad omnia indifferentis  
symbola, scilicet cadaveris & baculi  
senis: vultque ut ferri ac regi à divina  
Providentia per Superiores nos sinamus,  
perinde ac si cadaver essemus, aut senis  
baculus. Quàm verò apta sint hæc sym-  
bola, & quæ obedientia ista in praxin  
redigenda sit, exhortatione præsentæ  
inlinuabimus.

S s s I. Primum



I. Obediens sit instar cadaveris. I. Primum obedientia indifferentis symbolum, à S. Ignatio propositum, est *cadaver hominis*: vult enim ut nos ferri ac regi sinamus instar cadaveris. In quo reperimus sequentia, obedientibus imitanda: nam

1. Obediens sit *cæcus* instar cadaveris, oculosque clausos in omnibus teneat. Cadaver nec videt, quid secum agatur, nec causas rescire cupit, cur loco moveatur, aut cur aliò transferatur; nec locorum differentias advertit. Ita pariter obediens oculos clausos gerat, inter loca aut munia, ad quæ ab obedientia destinatur, minimè discernat, res injunctas non dijudicet, causas mutationis inquirere aut rescire nolit. Si enim oculos aperiat, ut hæc cernat, illico à cadaveris similitudine & imitatione deflectet; atque ab obedientia cæcâ & indifferente longè recedens ad commoda propria declinabit. Causas enim investigare, Superiorem judicare & condemnare, licet pareas, teste S. Bernardo, non est virtus obedientia; sed velamentum malitia. Obedientia indifferens ac perfecta, ut ex Augustino docet Bonaventura, Tr. 8. Coll. 3. debet esse simplex, sine discussione.

In hac simplici & cæca obedientia S. Antonius re & cognomento magnus, sanctum Paulum simplicem, quem diu repulerat, tandem tamen in disciplinam suam admiserat, exercuit, in rebus quibusvis etiam rationi contrariis. 1. Primò enim iussit funem contextum, magno labore retexere; tum etiam denuò cõtèxere. 2. Panem mensæ apponere, atque assidere, non tamen manducare. 3. Aquam totâ die hauri-

re, ac deinde eandem effundere. Vasculum mellis in terram effundere, ac rursùm à pulvere purgatum, recolligere. 5. Vestem quâ tegebatur dissolvere, ac denuò cõtèxere: quæ omnia optimus senex, obedientiæ studio, atque amore, promptè explevit, nec de inutili, vanoque labore vel verbulo conquestus est. Bolandus in vita S. Antonii. Hoc est cæcum esse instar cadaveris. Hoc est, ut Climaci verbis utitur, *pio motu inexaminato, & indistincto, ad jubentis voluntatem se accommodare, inculo proprii iudicii clauso, & ad Superioris iudicium aperto, quod cæca obedientia munus est.* Et ne hæc cæcam obedientiam, in solis viris sanctis, qualem erat Paulus simplex, reperiri putemus, Tyronis cujusdam è Societate exemplum adducam ex Historia virtutum P. Rho. L. 4. c. 6. ubi refert de Sebastiano Davino, apud Lugdunenses Novitio, qui aridum arboris ramum, in horto temerè projectum, terra mandare, & aquam quotidie affundere iussus, atque dum cresceret; exactè paruit, nulla præabsurdi imperii interpretatione usus: videri poterat & rideri vanissimus labor, nisi eum probasset eventus, docuissetque ab obedientia etiam vinei naturam: nam ab illa multo communis irrigatione, viros rediit, & ramus, jam arbuscula, novas frondes induit, auctâque ad justam altitudinem, Tyronibus, qui eam obedientia arborem appellavere, exemplo fuit & admirationi.

2. Sit *surdus*, instar mortui: mortuum sive laudibus prosequaris, sive vituperis, contumeliosis & maledictis proficis-



proscindas; five aliud quidpiam in aures insurres; non audit, non intelligit; non apprehendit, non movetur, non turbatur; quia mortuus est. Ita verus obediens, si accepto Superioris imperio, de loci, officiique mutatione, amor proprius, rationes in contrarium suggerat; suadeatque excusationes praeferre, causas non causas allegare, impedimenta varia praeferre; mox aures oburat, non aufcultat, sed patet: nisi forte praemissa oratione impedimentum certum Superiori significandum occurrat; interea tamen quidquid illi, re bene perpensa, statuerit, cum indifferencia expectat, & protinus exequitur. Item si adulator quispian ingerat, mirari se hanc mutationem, stupere se, tale tibi officium imponi majora te posse praestare; ac proinde suadeat, replicandum, scribendum, causandum; non audias; sed surdus esto, in indifferencia perstas; idque unum in aequilibrio, voluntatis tuae bilancem, teneat: Superiorem ita disposuisse. De Ethnicis Pythagorae discipulis refert S. Gregorius Nazianzenus Orat. 3. contra Julian. *Is qui Pythagorae Philosophiam colunt, illud aures ipsa, id est, ipse dixit, dogmatum omnium primum est & maximum.* Si causa posceretur in quaestionibus, in dogmatibus, nihil reponerent, nisi *aves ipsa.* Si hoc Ethnici, ut discant Philosophiam inanem; quid Christiani, quid Religiosi, ut addiscant Philosophiam veram, id est humilitatem, obedientiam & perfectionem? Surdi sunt, praeter vocem Superioris, nihil audiunt, & hac voce acquiescant: *aves ipsa.*

Ipse dixit: Ita Deum audient, nam scriptum est: *Qui vos audit me audit.* Lucae 10. 16.

3. Sit *mutus* & elinguis instar cadaveris. Cadaver quacunq; ratione se tractari sinit, citra querelam, citra murmur & contradictionem. Id quod S. Franciscus Seraphicus notavit, teste S. Bonaventura in ejus vita c. 6. ubi ait, sanctum virum dixisse: *Tolle corpus exanimis, & ubi placuerit, pone, videbis non repugnare motum, non murmurare situm; non reclamare dimissum: quod si statuat in cathedra non alta; sed ima, despiciet: si collocetur in purpura, duplo pallescet.* Deinde subtexit: *Hic verus obediens est, qui cur moveatur non iudicat; ubi loquitur, non curat; ut transmutetur non instat; eveltus ad officium, solitam humilitatem retinet; plus honoratus, plus indignum se censet.* Videntur indifferenciam cadaveris hanc moribus exprime; & in aequilibrio consistere. Quod si verò iudicium contrarium, aut obmurmurandi pruritus te incessat, sequere consilium S. Joannis Climaci datum in Epist. proem. ad Joan. Abb. *Cum tibi, inquit, cogitatio suggererit, ut Pralatam, aut iudicem, aut damnos, (aut ei obmurmures) ab ea non secus, ac à fornicatione distilas, nec proforis huic serventi requiem praestes; non locum, non initium, non ingressum. Loquere ad huiusmodi draconem, ac cum his verbis incesses: O maligne seductor! non ego iudicem meum iudicandum suscepi, sed idem me: non ego illius, sed ille mei dux esto.* Ad similia hortatur S. Casarius Arelatensis Episcopus homil. 8. *Quidquid, ait, tibi à Senioribus fuerit imperatum, accipe*



accipe tanquam de celo, sicut de ore Dei prolatum. Nihil reprehendas, nihil discutias, in nullo prorsus murmurare presumas: totum sanctum, totum iustum, & utile iudica, quidquid à Pralato tibi videris imperari. Hâc ratione in indifferentia perstabis immotus, & omnia promptè, alacritèrque, quæ injuncta sunt, exequèris.

4. Denique sit sine sensu, instar cada-veris: sive cadaver ad cœmeterium deferas cum pompa & honore, sive ad patibulum deducas cum dedecore; sive ad palatium, sive ad stabulum deportes; nihil sentit, nullatenus moyetur. Sive amici accedant & lugeant, sive recedant & gaudeant, sive laudent, & applaudant; sive explodant & irrideant, ejus nihil interest, nihil turbatur, nec gaudio afficitur, nec tristitiâ cruciatur; nec superbiâ extollitur; nec pusillanimitate dejicitur. Ita prorsus Religiosus obedientiâ & indifferentiâ ac resignatione præditus, sive relinquatur in laboribus suis, sive aliò mittatur atque avellatur à notis, cognatis, pœnitentibus, discipulis, amicis; sive in functionibus, aut concionibus suis plausum, sive vituperium referat; sive habitationem commodam, sive incommodam nanciscatur; nihil sentit, nihil curat, nihil ei inquietudinem parit: nec gaudium inane illum titillat; nec mœror absorbet; sed in voluntate Dei, per Superiores declarata, fixus, inconcususque persistit. Obedientia enim perfectâ, ex mente S. Joannis Climaci, est mors voluntaria & sepulchrum voluntatis. Ex S. Augustini sententia, quam allegat S. Bonaventura;

Est prompta sine dilatione, voluntaria sine contradictione, perseverans sine lassatione, strenua sine pusillanimitate, universalis sine exceptione: nihil petit, nihil renuit, nihil excipit, indifferens & resignata ad omnia.

O simplex! ô indifferens! ô perfecta obedientia! quàm es rara avis in terris! Et tamen quàm laude digna, quàm Religiosis omnibus necessaria? Hanc, Charissimi, à cadavere discamus; aut potius ab ipso Christo, ad flagella, ad crucem, ad mortem, ad omnia adversa & abjecta parato & indifferente, hauriamus: quidquid nobis injunctum fuerit, nihil discernamus cœcis, nihil odiamus contrarium, surdis, nihil obnoxeamus & obmurmuremus muti, nihil sentiamus, inconcussi & immoti. Ita obedientiam perfectam, resignationemque indifferentem Deo ac Superioribus exhibebimus.

II. Alterum perfecti obedientiæ & indifferentis symbolum est baculus sennis; ad imitandum à S. Ignatio propositus: *A Divina Providentia, inquit, per Superiores ferri ac regi se sinant, perinde ac si baculus senis forent.* Varios in Scripturis Divinis baculos celebres legimus, scilicet Regum, Pastorum, Pontificum: primo rebelles subigantur; secundo oves ducuntur, tertio felii gubernantur; primus valet ad veterum expulsionem, secundus ad novorum compositionem, tertius ad virtutum ordinationem. Primus fuit virga Joseph, quâ Aegyptios sibi subiecit; & cujus summitatem Jacob adoravit. Hebr. 11. 21. Secundus Moyses, quo mare percussit, & prodigia edidit.

Tertius



Tertius Aaronis, qui floruit, & quo dignus sacerdotio ostensus fuit. Verè aptissima obedientiæ symbola: quid enim? an non omnibus hisce baculis aut virgis, virtus obedientiæ ad vivum adumbratur? quæ instar virgæ regiæ voluntates rebelles coercet & subjugat: instar virgæ pastoritiæ subditos, velut oves ducit; instar pedi episcopalis aut pontificalis, ecclesiæ & religionis filios dirigit, atque instar virgæ Aaronis, virtutum flores producit. Fateor, omnia hæc obedientiæ quadrant; & tamen S. Patriarcha noster obedientiam, seu obedientiam, non scipioni Regum, non virgæ Pastorum, non pedo Præfulum; sed baculo senum comparare maluit. At cur nam obsecro? causam geminam protinus subdit, dum ait: *Qui ubicunque & quacunque in re velit eo uti, qui eum non tenet, ei inservit.* Ad eoque præ aliis perspicuum, indifferentiæ, & obedientiæ resignatæ symbolum ob oculos ponit. Discutiamus singula.

1. *Ubicunque* velit eo uti, ei inservit. Id est, quocunque in loco sive in terra, sive in mari, sive in loco mundo, sive sordido & lutofo, sive in alto, sive in imo, eum senex collocaverit ac fixerit; baculi nihil interest; nullatenus se difficilem ostendit, aut opponit. Sic à pari 1. Religiosus obedientiæ amans, præsertim is, qui vi Instituti sui, & regula, paratus esse debet ad habitandum in quavis mundi plaga, ubi major Dei gloria, & major salutis animarum occasio speratur, instar baculi senis, *ubicunque* Superior ejus operâ uti voluerit, ei inserviet: sive sit apud fideles, sive apud infideles, sive apud Ca-

tholicos, sive apud Heterodoxos, sive in Collegiis, sive in Missionibus, sive in magnis Urbibus, sive in oppidulis & pagis, paratus sit *ubicunque* justus fuerit, degere; & fructum reportare, *ubicunque* locorum, *ubicunque* terrarum, absque discrimine.

2. Et quemadmodum baculus senis absque difficultate ac repugnantia, transponitur, & de loco in locum deportatur: ita Religiosus, ad solam Superioris vocem; ad unam epistolam atque etiam literam, exemplo S. Francisci Xaverii, paratus sit derelictâ Indiâ redire in Europam; aut relicta Europâ transmigrare in Indiam: tam promptus ad transeundum Bethleemo Hierosolymam, quàm Hierosolymâ Bethlehemum; aut ex magna civitate in parvam, quàm ex parva in magnam. 3. Veluti baculus senis altè terræ, lutove infixus, difficulter extrahitur, locoque movetur; ita pariter Religiosus si haud absque difficultate loco cedit; & aliò commigrat; & vel ipse intercedit, vel aliena procurat patrocinia, esse se luto amoris proprii profundè infixum, nullatenus dubitet.

2. *Quacunque in re*, velit eo senex uti, baculus ei inservit: si senex iter promoveri cupiat; si eidem inniti, & corpus fessum sustentare desideret; si canes allatantes & mordere parantes abigere optet, in omnibus ei servit. Ita quòque Religiosus Superiori se sistat, & quacunque in re, eo uti voluerit, promptè inserviat: sive literas humaniores tradere, sive scientiis sublimioribus intendere, sive catechesin rudibus exponere, sive pro con-



cione perorare, sive agros, & carceri mancipatos invisere; sive discordes pacificare, illum desideret; ad cuncta indifferens, quam promptissimè obediatur. O quanta in eo latet perfectio! & quanta sui victoria! quanta in celo merces & corona!

Verùm oggeres & oppones religiose talenta tua, ingenium, docendi & perorandi capacitatem; quæ ad vile oppidulum, aut rudem plebeculam, pueritiàmque erudiendam ablegari non conveniat: neque è gloria divina esse videatur. At intuerere Christum; cadetque hæc tua persuasio: de illo ceu sponso suo asserit sponfa. Cant. 2. *Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios.* O dura conditio! arborem esse frugiferam; & in sylvam transportari, sociandam quercubus & pinastris, ubi nullus qui riger, nullus qui excolat; nullus qui poma dignetur decerpere. Solo vento succussa cadent, ut sues mixta glandibus exsaturent. Quàm durius, hominem eruditum, talentis egregiis præditum, in oppidulo latere cum indoctis! sed si Christo similis es, patere te ablegari è viridario in nemo: Deo & sponfa malus sum, etiam si videar una ex abietibus infecundis. Athanasius cum sua doctrina, ad quinquennium in puteo delituit: Paulus in catena. Christus in sæno, in Ægypto, in Nazarethana domo. Horum lege vestigia; & vel in sylva fructu copioso non carebis; indifferensque obedientia, idoneum reddet, ut denuo è nemore transplantatus in viridarium abundantiores fructus proferas.

Quapropter, Dilectissimi, si obedi-

entia indifferens, ac perfecta contempere à sanctis Viris commendata virtutem assequi desideretis; 1. Instar cadaveris, vos cæcos, surdos, & inconcussos exhibete in omnibus Superiorum ordinationibus, dispositionibus, missionibus, occupationibus ac officiis, cæci estote & indifferentes, nihil iudicando, nihil discernendo, nihil indagando. Surdi estote, adulterum, imperfeكتورum, amicorum ficturum, & amoris proprii prava consilia non auscultando. Muti estote Superioribus non contradicendo, non obtemperando, non obmurmurando, non replicando, non literis crebris Superiorem fatigando; non causas trivellas, aut exceptiones allegando; sed muremur, instar sibili serpentis aut draconis repellendo, omniaque iusta sancta & utilia esse existimando. Insensibiliter seu absque sensu estote, non dolendo, non ex aliqua re, aut charorum separatione tristitiam percipiendo; sed firmiter Dei voluntati inhaerendo; hinc ratione perfectam indifferentiæque obedientiam demonstrabitis. 2. Instar baculi senis *ubicunque* locorum, aut terrarum, Superior operâ vestra involuerit; ite, pergite, properate, quod Deus per Præsides vos evocat. *Et quocunque in re*, quocunque in monte, seu occupatione, sive humili, sive sublimi, sive ardua, sive facili, operam vestram requisiverit, cæcè & promptè instar baculi, obtemperate: hæc vult, integrè & perfectè, ac cum resignatione indifferenti, Deo ac Prælati subiecti eritis, securam humilitatis vitam tenebitis; in pace & tranquillitate degetis.



degetis: ac denique obedientiam per-  
fectam, quæ reliquas virtutes menti  
inferit, insertaque custodit, à largi-

tate Domini Dei nostri, feliciter com-  
sequemini.

## REGULA XXXVII.

De Correctione paterna.

EXHORTATIO  
IN REGULAM XXXVII.

Correctionis paternæ, animo libenti acceptatæ, utilitates explicat.

T H E M A.

*Corripiet me justus in misericordia.* Psal. 140. 5.

V E L

*Adimplere quisque debet quasvis penitentias.* Reg. 37.

I quis Ordinem reli-  
giosum ( Societa-  
tem nostram mini-  
mam) cum arca fœ-  
deris, à Moyse fa-  
bricata, compara-  
vent, ab allegoria seu similitudine  
hæcquaquam aberraverit: quem-  
admodum enim in illa veteris testa-  
menti arca, tria, manu Moyſis, indita  
reperiebantur, scilicet urna manna,  
legis tabulæ, & virga Aaron, teste  
Apostolo ad Hebr. 9. 4. *In arca testa-  
menti erat urna aurea habens manna,  
& virga Aaron, qua fronderat, & tabu-  
la testamenti.* Ita quoque in Ordine  
religiosi (Societatis) arca, ad Dei glo-  
riam & cultum fabricata, tria, manu  
fundatoris reposita inveniuntur. 1. Est  
manna suavissimæ gubernationis, in

spiritu charitatis ac dulcedinis. 2. Ta-  
bulæ legis seu regulæ ac constitutio-  
nes, non in spiritu timoris, sed amoris,  
ad perfectionem dirigentes. 3. Virga  
Aaronis amygdalina, quæ floruit, fru-  
ctusque produxit: id est virga corre-  
ctionis seu correptionis paternæ; cum-  
que in præcedentibus, de binis, priori-  
bus, ceteriùs egerimus, in præsentia-  
rum de tertio, id est, virga, seu de usu &  
fructu correctionis tractabimus: vir-  
gamque istam, primò amygdalinam,  
secundò floridam, ac tertio fructife-  
ram esse ostendemus.

I Non reperies Ordinem tantæ per-  
fectione, nec statum ullum tantæ san-  
ctitate, in quo Dei servi, ex conditione  
fragilitatis humanæ, in quosdam non  
labantur defectus; quos deinde à Præ-  
latis disciplinæ studio, corrigi sit  
necessè

I,  
Virga  
correctio-  
nis amyg-  
dalina.